

ton, olim Collegium in divinum cultum à Guillelmo *Craffo* Albemarliæ Comite institutum, & Barton, ubi traejectus est in provinciam Eboracensem celeberrimus. Iuxta *Ankam* fluvius fæculentus, & ideo anguillarum ferax, in *Humber* exoneratur, prope cujus fontes est *Merket-Rafn*, à foro quod ibi non infrequens sic dictum. Superioris adsident *Angotby*, nunc corrupte *Osgodby*, olim familiæ de S. *Medardo*, à quibus ad *Airminos* hæreditario descendit, & *Kelsay*, quondam *Hansardorum*, qui magni fuerunt nominis in hoc Comitatu, à quibus ad equestrem stirpem de *Ashcough* jure conjugali devenit. Deinde vero *Ankam* ponte conjungitur ad *Glanford* tenuem mercatum, quem vulgus, à ponte, *Brigg* vocat, vero nomine pene oblitterato. Proxime hunc intra roborarium *Kettleby*, cernitur familiæ *Tirwhittorum* equestris dignitate præclaræ sedes, olim vero ut ex nomine colligas, ketelli cuiusdam (quod nomen erat usitatum Saxonico & Danico seculo) habitatio. *Bye* enim habitatio & *Byan*, habitare Saxonice significat, unde tot loci & alibi in Anglia, & præcipue in hoc Comitatu in *Brye* terminantur.

Aves delicatae.

Toto hoc tractu statis temporibus, (ut pisces taceam) Deus bone, quanta copia abundant aves, non illæ vulgares quæ summo sunt alibi pretio querquedulae, coturnices, gallinagines, phasianii, perdices, &c. sed quas non eloqui est ore Latino, ipsissimæ menrarum deliciae, & heroum dapes gulæ proceribus expeditæ, *Puittes*, *Godwitts*, *Knotts*, id est *Canuti aves*, ut opinor, è Dania enim ad voluntate creduntur, *Dotterells* ob delirantem stultitiam dictæ, quæ imitatrixes aves ad lumen candelæ pro aucupis gestu capiuntur, si is brachium extendit, expandunt & illæ alam, si is tibiam, & illæ itidem; breviter, quicquid agit auceps, idem facit & avicula, donec reti obvelatur. Sed hæc illis observanda relinquo qui vel naturam sedulo venari, vel qui abdomini nati censem gulæ demergere gaudent.

Stow.

Knath.

Darcy de Nocton & Knath.

*Fines 29.
E. 3. Gainesborrow.*

Magis ad Occasum in *Humbrum* etiam *Trenta* flumen longo confecto cursu suscipitur quum à *Fosseide* fabulosa ripa hunc agrum terminaverit, delapsus primum haud procul à *Stow*, ubi Godiva uxor Leoftici Comitis Monasterium construxit, quod ob inferiorem situm *sub colibus*, *sub promontorio Lincolnia* positum dicit H. Huntingdonensis. Inde prope *Knath* habitationem nunc Baronis *Villoughby de Parrham*, olim familiæ Baronum de *Darcy*, quibus plurimum cum honoris, tum possessionis per filiam & hæredem de *Meinill* accessit. Profluxit hæc Darciorum familia ab antiquiori, à quodam scilicet cui nomen Normannus de *Adrecy* sive *Darcy de Nocton*, qui summa estimatione floruit sub Henrico Tertio, cuius posteri monasteriolum sacrarum virginum ad *Alvingham* in hoc Comitatu dotarunt. Sed dignitas hæc quasi extincta, cum Normannus ultimus in recta linea antiquiori, duas tantum reliquerit forores, quarum altera Rogerio *Pedwardino*, altera P. de *Limbergho* in uxorem data fuit.

Inde *Trenta* ad *Gainesborrow* decurrit, Danicarum navium statione, & Sueni *Tiugsege* Danici tyranni fato nobile oppidulum, qui illic postquam regionem diripuisset (authore Matthæo

Westmonasteriensi) ab incerto quoqiam confusus meritas sceleris poenas demum persolvit. Multis post saeculis possessio erat Guilielmi de *Valentia* Comitis Penbrochiarum qui jus feriae ab Edwardo Primo obtinuit, à quo Comite per Atholiæ Comites Scotos, & Percios, profluxerunt Barones de *Bourrough*, qui hic habitarunt, de quibus antea in Surreia. In hac Comitatus parte olim fuit urbs *Sidnacester*, quæ sedem episcopis hujus tractus præbuit, qui Lindissarorum dicti fuerunt Episcopi, verum ita jam disparuit, ut cum nomine ipsæ etiam ruinæ periisse videantur. Nec prætereundum, quod in hoc tractu apud *Mellwood*, floret clara & equestris familia de S. *Paulo*, *Sampoll* corrupte vocant, quam semper existimavi fuisse ex antiqua *Castilionea* stirpe Comitum de S. *Paulo* in Gallia: sed Lucemburgica quæ ge- S. *Paulo*. stant insignia aliud innuunt, nimurum è Gallia devenisse, ex quo stirps illa *Castilionea* de S. *Paulo* (quod ante ducentesimum plus minus annum accidit) per nuptias Luxemburgicæ fuerit insita.

Super hoc *Trenta*, *Idell*, & *Danus* flumina ita suis aquarum divergiis (Fontini verbo utor) ludunt, ut Insulam amnicam *Axelholme*, Saxonice *Axelholme*, quæ Lincolniensis agri pars est, amplectantur. Longitudine x mil. ab Austro in Septentrionem, latitudine dimidio minor patet. Quà humilior ad flumina palustris est, & frumentum odoriferum (*Gall* vocant) profundit: in media, quà leviter surgit, ferax est, & fertilis, numerique magna copia præbet, nec non Alabastitem, qui tamen minus solidus albariis & emplastris magis, quam aliis usibus convenit. Primarium oppidum olim *Axel*, nunc *Axey* vocatur, unde adjectione Saxonice dictionis *Holme*, qua pro insula amnica usi sunt, nomen proculdubio conflatum. Sed oppidum vix dici meruit, ita sparsim habitatur: castri tamen aream ostendit, Baronum bello demoliti, quod ad *Mowbraios*, qui tunc magnam insulæ partem possederunt, spectavit. Anno MCLXXXIII, scribit vetus Chronographus, Rogerus de *Mowbraio* à fidilitate Regis Senioris recedens, in insula *Axelholme* ad *Kinard ferry* castellum ab antiquo dirutum reparavit. Ad quem multitudo Lincolnienorum navigio tranvecta, castellum obsedit, Constabularium & milites omnes ad ditionem coegit, & castellum subvertit. Superior est *Botterwick*, cuius dominum Edmundum *Sheffield*, primum ex hac familia Baronem *Sheffield* de *Botterwick*, creavit Rex Edwardus Sextus, qui vitam patriæ contra rebelles Norfolcianos profudit, cum ex Anna Vera Comitis Oxoniæ filia suscepisset Ioannem Baronem secundum, patrem Edmundi, qui nunc floret Georgiani ordinis Eques honoratissimus. Magisque ad Boream est *Burton Stather* ad alteram *Trentæ* ripam, de quo nihil memorandum hactenus legi.

Comites suos Lincolnienis hic ager jactat Lincolniae post *Eggam*, qui anno DCCX floruit, & Morcarum Comites, Saxones, qui tantum officiarii erant Comites, Guilielmum de *Romara* Normannum, cui defuncto (nec enim filius qui ante partem obiit, nec nepos hoc titulo usi sunt) Gilbertum de *Gant* substituit Stephanus. Eo mortuo Simon de S. *Licio Iuvenis*, filius Comitis Simonis (verba Roberti Montensis, qui sub id tempus vixit, 2. H. 2. legis)